



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Aimerico Abbati Caduniensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**



Quod si viventes adhuc religionis intuitu apud eos sepeliri deliberaverint; cum vestra quoque presentia, salva matricis Ecclesie iustitia, tumulentur. Ad hæc adiicientes, vobis vestrisque successoribus & per vos Ecclesie vestre perpetuo confirmamus Ecclesiam sancti Iuliani, cum domibus, cellis, cryptis, hortis, vineis, & arenariis suis, cum terris cultis vel incultis, sylvis, pantanis, & pratis suis, cum suis aquinolis in rivo qui vocatur Arton: quæ quidem Ecclesia sita est iuxta castrum quod vocatur de Guid. Casale de Maliana, cum turri, vineis, agris cultis & incultis, pratis, sylvis, aquis, & aquarum decursibus. Vineas quas in Marcello, in Rosario, & in pratis Papæ possidetis, cum pratis & aliis pertinentiis suis. Vineas etiam & terras in Virgine, Molam quam in flumine Tyberis habetis, & quartam partem alterius molæ. Casale in campo de Merulis, terras in Marcello, terras in Ventrebublo, cum aliis omnibus quæ impræsentarium iustè & canonicè possidetis, vel in futurum largiente Domino poteritis adipisci. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat honores & bona sepefactæ Ecclesie vendere, in feudum dare, aut ab eadem Ecclesia modis quibuslibet alienare, ipsam Ecclesiam temerè perturbare &c. Salva sedis apostolicæ auctoritate. Siqua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Acheruntini Archiepiscopi, Cancellarij vicem agentis, X. Kal. Augusti, Indiçione secunda, incarnationis dominicæ anno MCXCIX. pontificatus verò Domini Innocentij Papæ III. anno secundo.

*A I M E R I C O A B B A T I  
Caduniensi.*

**I**Nter ceteras sollicitudines quæ nobis ex officio creditæ servitutis incumbunt, animum nostrum sollicitior cura perurget, cum eos qui terrenas illecebras sumendo habitum regularem deberent penitus abdicasse, & obsequiis efficacius divinis insistere, audimus esse inquinamentis malitiæ ac dissolutionis vitis irretitos, & ad eorum correctionem studium efficacæ & promptæ voluntatem nos convenit adhibere. Nimirum cum per insinuationem tuam ad apostolatus nostri audientiam pervenisset, zelo Dei conscientiam tuam, sicut credimus, excitante, quod ab antiquo abbate Ca-

duniensis non solum pastorem de ordine Cisterciensi suscepit, sed etiam habitum & observantiam regularem, per quam tam in temporalibus quàm spiritualibus olim cœlestium donorum profecerat incrementis, & tandem per quosdam indisciplinatos filios voluntatis propriæ sectatores, qui cervices suas indomitas ab illo iugo suavi & salutari minus licenter excutere præsumperunt, ad tantæ dissolutionis miseriam peccatis exigentibus jam devenit, ut à malitia inhabitantium in ea, sicut etiam ex testimonio plurimorum didicimus, defectum minaretur pariter & ruinam; propter hoc bonæ memoriæ A Pictaven. & venerabili fratri nostro R. Petragoricensi Episcopi & dilecto filio Arnaldo Archidiacono Petragoricensi præcipiendo mandavimus ut ad locum pariter accedentes, quicquid corrigendum invenirent tam in capite quàm in membris, auctoritate freti apostolica, solum Deum habentes præ oculis, prævia ratione corrigerent, & fratres ipsos diligentius commonentes ut redirent ad ordinem Cisterciensem, à quo formam religionis sumpserunt, procederent ad emendationem ipsius loci tam in capite quàm in membris, prout expedire viderent, & quod statuerent, per censuram ecclesiasticam facerent firmiter observari, conspirationes etiam & virium proprietatis penitus extirpari, & fratres quos morientes in eo contingeret vitio deprehendi, Christiana sepultura carere. Adjectum fuit etiam quod si prædicti tres iudices interesse non possent, reliqui duo præmissa exequi non differrent. Vnde prædicti Episcopus & Archidiaconus Petragoricenses, sicut tenor litterarum suarum nobis plenius intimavit, cum dictus Episcopus Pictavenensis jam esset morte præventus, ad tuum monasterium accedentes, & intelligentes per famam publicam fratres ejusdem monasterij tam in propriis habendis quàm in dissolutione vitæ suæ graviter diffamatos, & eosdem propter nimiam dissolutionem, in qua erant nimium obstinati, & admonitionem penitus contemnebant, ad debitum religionis statum nullatenus aliter nisi per ordinem Cisterciensem posse reduci, astantibus plurimis discretis viris tam Clericis quàm Baronibus, ad quos locus ille ratione foundationis dignoscitur pertinere, ipsum monasterium Caduniense decre-

Vide lib. 1.  
epist. 146.

Vide Notam  
nostram ad Con-  
cilium Monspeliense habitum  
an. 1214. cap.  
16.

Epist. 154.  
Vt reformatio  
hinc edita, & à  
Legato apostolico  
probata,  
fuerat.



442 **Epistolarum Innocentij III.**

verunt ad Cisterciensem ordinem reducendum, & ipsum, cum omnibus abbatibus suis, abbatia Pontiniacensi, praesente ipso G. Pontiniacen. Abbate, in perpetuum submiserunt; & quod ab eis statutum est & decretum, dilectus filius noster P. sanctae Mariae in via lata Diaconus Cardinalis, apostolicae sedis Legatus, sicut nobis per suas litteras innotuit, auctoritate suae legationis postmodum confirmavit. Nos igitur tuis justis postulationibus grato & pio concurrentes assensu, quod ab ipsis iudicibus & praedicto Cardinali provida deliberatione factum est ratum & firmum habentes, auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus, statuentes in praedicto monasterio tuo & aliis ei subjectis Cisterciensem ordinem futuris temporibus inviolabiliter observandum, & eadem Pontiniacensi abbatia, sicut est superius praelibatum, perpetuo deinceps fore subjecta. Decernimus ergo &c. confirmationis & constitutionis &c. Datum Laterani X. Kal. Augusti.

**B V R D E G A L E N S I**  
*Archiepiscopo, Agemensi & Piltaviensi*  
*Episcopis.*

*Epist. 155.  
 De eodem arguimento.*

**I**nter ceteras sollicitudines &c. usque ad verbum fore subjecta. Quocirca fraternitati vestrae per apost. scripta mandamus atque praecipimus quatenus in monasterio Caduniensi & aliis abbatibus quae sunt illi subjectae, sub obedientia Pontiniacensis Abbatis per censuram ecclesiasticam, sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, Cisterciensem ordinem servari sine refragatione aliqua faciatis. Et quoniam Abbas Faesensis per Abbatem Gundoniensem & quosdam Cadunienses monachos se in locum antedicti Aimerici Canienensis Abbatis intrusit, & eo cassato, & excommunicatione promulgata tam in ipsum quam in Abbatem Gundoniensem & complices eorum, Geraldus de la Costa Cantor Caduniensem ipsam abbatiam per intrusionem similiter occupavit, qui licet cassatus fuerit auctoritate apostolicae sedis, & cum fautoribus suis excommunicationis vinculo innodatus, saepedicto Aimerico Caduniensi Abbate in corporalem possessionem abbatiae suae reducto, eandem abbatiam per laicalem potentiam adhuc violenter nititur detinere; volumus nihilominus & manda-

mus ut juxta sententiam in eos rationaliter latam faciatis ipsos & universos fautores eorum sicut excommunicatos usque ad condignam satisfactionem ab omnibus arctius evitari. Nullis litteris obstantibus harum tenore tacito. Quod si omnes &c. Datum Laterani VI. Kalendas Augusti.

**ASISINATI EPISCOPO,**  
*& Abbati S. Petri Perusini.*

**C**um civitatem Perusinam inter alias quae beati Petri juris existunt speciali diligamus affectu, & utilitati Cleri & populi velimus sollicitius innuere, quae inter eos scandalum generant de medio tollere cupimus, & ea fovere per quae pax inter eos valeat conservari. Sanè, sicut ex litteris venerabilis fratris nostri Episcopi & dilectorum filiorum Cleri & populi Perusinorum nobis innotuit, ex discordia illa quae inter I. Archypresbyterum & Hermannum Canonicum est exorta, super eo quod dictus Hermannus intendebat de simonia & dilapidatione praefatum Archypresbyterum accusare, concepto jam & recepto libello rota ferè civitas est commota, & si ea de medio tolleretur, grata inde posset ipsi civitati tranquillitas provenire. Nos ergo praedictorum Episcopi & Cleri & populi precibus inclinati, jamdicto Hermannus, qui, sicut suis nobis litteris intimavit, sponte vult à praefati Archypresbyteri accusatione desistere, abolitionem duximus indulgentiam, eum ab observatione nostri iudicii absolventes. Ipsum Archypresbyterum, qui etiam suis litteris purgationem canonicam obtulit, licet ei de rigore canonum septima sui ordinis manus esset purgatio indicenda, tertia manu duntaxat innocentiam suam purgari misericorditer indulgemus super crimine simoniae; ita duntaxat, ut inter eos nullum omnino colludium intercedat: quod utique si foret admissum, gravissimè puniremus. Volentes autem etiam in hac parte praedictis Archypresbytero & Canonico misericordiam exhibere, ne ad nos accedendo fatigentur laboribus & expensis, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus gratiam eis impensam in publicum proponentes, purgationem ab ipso Archypresbytero, juxta quod praemissum est, publice recipere procuretis: ut ex hoc mala fama

*Epist. 156.  
 Ut Archipresbytero purgationem canonicam super simonia indicant.*